

capere; ne scilicet per publicam & conspicuam cada-  
verum frequentem delationem per eorum conspectum  
nimis terror hominibus incuteretur. Equidem appa-  
ret, tempore Guilelmi Durandi Episcopi Mimatensis  
vulgò Speculatoris, id est, secto 14. nondum receptus,  
saltem generaliter, ritus cadavera occultandi. Ipse enim  
in *Rationali Divin. Offic. lib. 7. cap. 159.* referens ritum  
sepeliendi non meminit hujus inclusionis faciendæ, nisi  
uno speciali casu, nimirum si quis moriatur in mari, &  
terra omnino non videatur in qua sepeliri queat, *pare-  
tur* (ait) *ei domuncula quedam ex lignis, si possit haberi,  
& projiciatur in mare.*

Quid sit, non dubium, quin ritus portandi ho-  
die ipsa Monachorum corpora *patenter* ad templum,  
& sepeliendi, remanserit ex antiquo ritu omnibus com-  
muni. Ulterius nec illud dubium apparet, quin consue-  
tudo cooperiendi loculum velo nunc albo, nunc nigro,  
idque magis vel minus pretioso pro defunctorum con-  
ditione; quin & imponendi insignia; profluxerit ex pri-  
stino more ipsorum defunctorum vestiendi.

XXV. Cadavera mortuorum apud Gentiles ple-  
rumque noctu elata fuisse notat Servius ad 11. *Aney-  
dos* scribens: *Per NOCTEM cadavera afferebantur cum  
faculis; pluribusque ostendit Gothofredus ad L. 5. Cod.  
Theod. De Sepulchris violatis.*

Quin Christiani durante Ethnicorum persecutione  
corpora noctu ad cryptas & loca subterranea sepelienda  
detulerint, dubium non est; at pace reddita Ecclesiæ  
per Constantinum claro die caperunt corpora deferre,  
uti non obscurum est ex citata *lege 5.* quæ Julianum  
Apostatam quidem auctorem habet. In hac enim lege  
clare supponitur, quod consuetudo deferendi publice  
& per confertam populi frequentiam cadavera mor-  
tuorum invaluisse; quæ consuetudo hic abrogatur, hac  
inter alias ratione, quod *cum diem functis nihil interest;  
utrum per noctes, an per dies efferantur, liberari convenit  
populi totius aspectus.*

Credit Gothofredus, hanc legem in odium Christia-  
norum à Juliano Apostata editam fuisse. Quid sit, eam  
nihilominus Theodosius Junior per relationem in su-  
um Codicem probasse videtur: ac propterea mos noctu  
sive vesperi corpora ad Ecclesiam deferendi rursus, eti-  
am inter Christianos, restitutus fuisse apparet; ejusque  
meminisse videtur S. Ambrosius lib. *De Viduis*: hodie-  
que in Monasteriis passim servatur.

XXVI. Ab hac consuetudine noctu corpora efferen-  
di, primitus originem habuisse morem faces seu fanalia  
incendi & corporibus mortuorum præferendi nota-  
t auctor Romæ subterraneæ lib. 1. c. 17. n. 29. & c. 18. n.  
1. indeque *funus dictum à funibus*, videlicet incensis fe-  
retro præferri consuetis ex Grammaticis plerique au-  
tumant, ait idem auctor *nu. 19.*

XXVII. Quin & Gentilibus moris fuisse, non tan-  
tum faces in efferendis corporibus præferre; sed ad se-  
pulchra mortuorum certis temporibus lucernas accen-  
dere, constat ex *L. MÆVIA ff. De manumissis testam.* in  
qua refertur, quod Mævia famulis suis libertatem testa-  
mento dederit cum hoc onere, *ut monumento alternis  
mensibus LUCERNAM ACCENDANT, & solemniter  
mortis peragant.* Ad hunc locum reflectens auctor Ro-  
mæ subterraneæ lib. 1. cap. 18. n. 2. ait: *En luminaria ac-  
cendendi mos, & mortuos hujusmodi ritus colendi ex  
ipsis superstitionis gentilitiæ monumentis adnotatus.*

XXVIII. Quin & diurnis funeribus lumina adhi-  
buisse Gentiles monet citatus auctor, atque lampadum,  
lucernam ac cereorum usum tam apud Gentiles, quam  
Judæos & eam primos Christianos fuisse, non tantum  
ad effugendas noctis tenebras, sed & ad lætitiæ in-  
nuandam, & pium religionis cultum amplificandum  
probavit jam pridem S. Hieronymus adversus Vigilanti-  
um, & multis adstruit Baronius ad annum 58. *“Cum*

que (ait Baronius) hæc ipsa æquè Judæi factitarent,  
, atque Gentiles; cur non potius à Judæis ea, sicut &  
, pleraque alia, quam à gentilibus Ecclesiam esse mu-  
, tuatam dixerimus? Et si velimus accepta ab illis esse,  
, quid absurdum si eadem in veri Dei cultum conversa  
, fuerint, ut alia multa?

XXIX. Usum cereorum in funeribus plurima anti-  
qua monumenta evincunt. De funere Constantini scri-  
bit Eusebius lib. 4. *De Vita Constantini cap. 66.* *“Post hæc  
, milites sublato è lecto corpus in arca aurea depo-  
, fuerunt, eamque purpurea oblectam veste Constanti-  
, nopolim deportarunt, atque in præcipuo Imperiali  
, palatii cubiculo sublimem collocaverunt. De hinc au-  
, tea super candelabra luminibus undique accensis, admi-  
, rabile spectaculum intuentibus præbebat.*

Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait: *Sacerdotes  
lampades cereosque præstulerunt funeri.*

Et de funere Constantii loquens S. Gregorius Nazi-  
anzenus dicit, eum elatum esse *luminibus accensis*; addit-  
que: *Quibus Christiani transitum honorare pium censemus*  
Vide plura apud Onuphrium Panuini De Ritu sepe-  
liendi mortuorum c. 5.

XXX. Cereos defunctis prælatos fuisse in signum  
triumphi ob peracti viriliter agonis cursum insinuat S.  
Chrysostromus homil. 4. in *Epist. ad Hebræos* scribens:  
Dic mihi quid sibi volunt istæ fulgentes lampades? An  
non defunctos tamquam *athletas* deducimus?

Eundem in finem decantatos hymnos fuisse in dela-  
tione funerum subiungit Chrysostromus: *“Quid etiam  
, hymni An non Deum glorificamus, & gratias agimus,  
, quod eum qui excessit, jam coronaverit; Quod à labo-  
, ribus libera verit; Quod abjecto metu eum apud se ha-  
, beat? Nonne ideo sunt hymni? Nonne ideo psalmodia,  
, Hæc omnia sunt latantium.”*

Latius de hoc ritu in gratiarum actionem adhibito in  
mortuorum delatione agit Dionysius Areopagita, seu  
auctor De Hierarchia Ecclesiæ cap. 7. & multis ex anti-  
quitate adductis testimoniis adstruit Onuphrius citato  
c. 5. & latius auctor Romæ subterraneæ lib. 1. cap. 19.

XXXI. Cantum etiam à gentilibus in funeribus ad-  
hibutum fuisse constat; sed lugubrem; quo suum de mor-  
tuis morem & luctum declararent; cui & plurima in-  
fana & phanatica externi luctus indicia addebant; in-  
tantum ut viros mulieresque ad hoc conducerent, qui  
suo continuo ejulatu luctum testarentur; quin & osten-  
tationis studio, interdum gladiis brachia impetebant,  
vulneribus cruentabant, genas vellebant, & capillos e-  
vellebant; uti testatur S. Chrysostr. Homil. 6. in cap. 11.  
Joannis.

Quod autem Phanaticus ille plangentium mos in usu  
olim apud Judæos esset ex ipsorum Evangelico textu  
luce clarius comprobatur. Nam cum Christus Dominus  
in cujusdam Principis Phariseorum domum, cujus filia  
è vivis paulò ante abcesserat, eandem à mortuis excita-  
tus, venisset, invenit ibi ut Evangelista (ait) tibicines  
& turbam flentem atque ejulantem; *in more enim*, ut  
Ambrosius ait, *receptum erat, ut in omnis ductione fune-  
ris tibicina ad incendendos, excitandosque confluentium  
luctus adhiberentur & præficia.* hoc est mulieres quæ mer-  
cede conducebantur ad defendum laudandumque de-  
functum.

XXXII. Hos immodicos luctus in Christianorum  
funeribus improbaverunt Patres, ne aliàs Ethnicis oc-  
casio daretur, religionem Christianam irridendi, quasi  
aliud factis, aliud verbis probarent Christiani; dum sci-  
licet ritibus suis luctum ostenderent, & ubique verbis  
prædicarent, mortem à Christianis esse expectandam, ef-  
seque transitum è mortali ac misera vita ad æternam &  
felicem ac omnis miseriæ expertem; conformiter ad il-  
lud Apostoli: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut  
non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent.*

XXXIII. Ita-

XXXIII. Itaque Ecclesia immodicos & phanaticos  
Gentilium & Judæorum luctus, & lugendi modos reji-  
ciens, & tamen nonnullos eorum retinens, in patientissi-  
ma lætitiæ signa convertit; uti jam pridem notavit S.  
Cyprianus in tractatu *De Mortalitate* dicens sibi præce-  
ptum, publicè contestari, *“Frater nostros non esse lu-  
, gendos assertionem Dominica de seculo liberatos, cum  
, sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præ-  
, cedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; deside-  
, rari eos debere non plangi; nec accipendas hic esse  
, atras vestes, quando ibi illi indumenta alba jam sum-  
, pserint: occasionem dandam non esse gentilibus, ut  
, nos meritò ac jure reprehendant, quod quos vivere  
, apud Deum dicimus, ut extinctos, & perditos lugea-  
, mus, & fidem quam sermone & voce deprimimus, cor-  
, dis & fidei testimonio non probemus.”* Adde  
Conc. III Tolet. *Can. 22.* apud Gratianum *caus. 13. q.  
2. Can. 28.*

XXXIV. Utque Clerici suo exemplo ostenderent;  
de morte propinquo non esse dolendum more gen-  
tilium qui spem non habent, sed potius iis congratu-  
landum de triumpho, vetitum fuit Clericis, ne in morte  
parentum vestes lugubres sumerent. Et quidem Conci-  
lium Toleranum an. 1473. *Can. 8* *“vocat absurdum  
, & reprehensibilem quomdam abusum Clericorum,  
, qui lugubres & luctuosas vestes induunt, & flebiliores  
, quam suæ congruit honestati, ex eo lereddunt, quia  
, parentes consanguineique eorum & amici corruptibi-  
, lem carnis nostræ molem deponentes, ad æternam pa-  
, triam de præsentis exilii miseria convolarunt.”* Hunc  
abusum penitus abolitum vult, *“cum & secundum sen-  
, tentiam ore benedictio prolata, qui credit in Chri-  
, stum etiam si mortuus fuerit vivet.”*

Deinde decernit sub pena suspensionis à perceptione  
fructuum suorum Beneficiorum per tres menses pro  
qualibet vice, *“ut ulterius luctuosas vestes induere Cle-  
, rici in sacris ordinibus constituti, vel Beneficiati no-  
, stræ Provinciæ non audeant.”*

Hinc indubie mos non lugendi propinquos mansit  
apud Regulares, qui nullum solent in vestibus luctus in-  
dicium assumere.

XXXV. Ex his tamen nequaquam concludere licet,  
omnem in morte Christianorum luctum reprehendi,  
aut à Patribus vetitum fuisse: sed immodicum more  
Gentilium, uti monet S. Augustinus *Serm. 32. De Ver-  
bis Apostoli, sive 172.* *“Ideò non admonuit Apostolus  
, ut non contristemur, sed non sicut ceteri, qui spem non  
, habent. Contristamur erga nos in nostrorum mortibus  
, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi: inde an-  
, gimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc  
, fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat  
, divina promissio.”*

XXXVI. Quod supra dictum de nocturna vel ves-  
pertina cadaverum delatione ad Ecclesiam non ita in-  
tellegendum, quasi ipsa nocte aut vespera sepelirentur;  
sed ibidem manebant tota nocte exposita, die sequenti  
sepelienda; imò & nonnumquam pluribus noctibus ibi-  
dem insepulta remanebant.

Eo autem tempore hymni & psalmi præsentem corpo-  
re recitabantur, aut etiam canebantur. Testatur S. Gre-  
gorius Turonensis in vitis Patrum cap. 30. de S. Gallo;  
Delatus in Ecclesiam, donec Comprovinciales (Epi-  
scopi) ad eum sepeliendum convenirent, jacuit ibi per  
triduum, assiduo instante psallentis magna frequentia  
populi, *“Plura habet auctor Romæ subterraneæ lib.  
1. cap. 20.”*

XXXVII. Hinc indubie originem habent vigiliæ de-  
functorum dum enim apud defunctorum corpora in Ec-  
clesiis exposita Fideles orando excubarent, quid aliud,  
quam *vigiliæ* apud defunctos agebant?

In Martyrologio Romano ad diem 14. Februarii le-

gitur: *“Sanctorum Proculi, Ephebi & Apollonii Mar-  
, tyrum, qui cum ad corpus Sancti Valentini vigiliæ a-  
, gerent, jussu Leontii Consularis comprehensi, gladio  
, cæsi sunt.”*

Et in obitu Macrinæ sororis suæ contigisse narrat S.  
Gregorius Nyssenus, antequam corpus ejus sepulchro  
inferretur, per totam noctem fuisse productam psalmo-  
diam: *“Factum est, (ait) ut virginum cantu lamentatio-  
, nibus commixto resonaret locus. Ac dein subdit, per-  
, sectam esse nocturnam per vigiliam canendis psal-  
, mis, ut in Martyrum celebrate.”*

XXXVIII. His vigiliis hodiernum officium defun-  
ctorum, quod & *vigiliarum* nomen retinuit, responde-  
re, vix dubitari potest.

Constat hoc officium primis vesperis, & officio no-  
cturno; quod ipsum non obscurum indicium est, ex pri-  
stinis illis vigiliis descendere; seu potius illis successisse.

Cum enim corpus sub vesperam ad Ecclesiam dela-  
tum tota ibidem nocte quiesceret, preces & vigiliæ quæ  
vesperi coram corpore agebantur, primis Vesperis (quæ  
juxta ritum Ecclesiasticum ad Vesperam sequentis diei  
fieri debent) apprimè correspondent; reliqua verò quæ  
de nocte agebantur, officio nocturno.

Olim quidem præsentem corpore vigiliæ agebantur;  
quemadmodum & nodie apud Monachos fieri consue-  
vit, idque ex antiquo ritu omnibus communi. At post-  
quam corpora secularium ad Ecclesiam sub vesperam  
deferri, & nocte exponi desierunt, officium defuncto-  
rum sive vigiliæ in absentia corporis cantati cæpit: in si-  
gnum tamen pristini ritus feretrum vacuum corpus ip-  
sum repræsentans poni solet.

XXXIX. Quandonam officium defunctorum com-  
positum fuerit, nescio. In Codice Sacramentarij S. Re-  
migi Remensis, quod circa an. 1000. scriptum credit  
Hugo Menardus, refertur *Officium pro defunctis*; illud-  
que exscripsit Menardus in notis ad Sacramentarium S.  
Gregorii; sed ab hodierno Romano planè diversum;  
non nisi ferè aliquibus commendationibus animæ &  
collectis constans.

XL. Hoc autem speciale obser- vat in hoc Officio Me-  
nardus, quod in principio Officii occurrit: *Imprimis  
cantatur Psalmus IN EXITU ISRAEL cum antiphona,  
vel ALLELUJA*: *“ex quibus constat (ait Menardus)  
, olim hanc lætitiæ vocem in defunctorum officio non  
, fuisse præsertim ob lætitiæ quæ toti Ecclesiæ ex  
, morte justorum obvenit; ut videre est apud S. Hiero-  
, nimum in Epitaphio Fabiolæ: & jam fama volans can-  
, ti prænuucia luctus totius urbis populum ad exequias  
, congregabat, sonabant Psalmi, & aurata tecta templo-  
, rum in sublime quatiebat ALLELUJA. hæc lætitiæ  
, vox à Græcis cantur in Liturgia èis *kyimydéntas*, id est,  
, de his, qui dormierunt finita Epistola lectione.”*

XLI. Post hæc pag. 262 exhibet Officium ex Codice  
MS. Ratoldi Abbas, quem circa finem seculi 10. exara-  
tum esse credit. Hoc officium nec Vesperas, nec offi-  
cium nocturnum defunctorum continet; sed tantum-  
modò preces & psalmos recitandos coram ægto agoni-  
zante; & statim postquam exspiravit.

XLII. Additur insuper oratio dicenda post lavationem  
corporis antequam de domo efferatur. Tum sequuntur  
orationes recitandæ in delatione corporis ad Ecclesiam.  
Post hæc subiungitur: *In Ecclesia autem requiescet corpus  
defuncti, quousque pro ejus anima Missa canatur & offer-  
ratur ab omnibus, quibus visum fuerit.*

Hic morem celebrandi Missam pro Defunctis; &  
quidem præsentem corpore; nec non morem offerendi visi-  
tatum fuisse videmus quem & primis seculis notum fa-  
nisse ex multis testimoniis ostendit Onuphrius loco citato  
cap. 10. & c. 9. etiam elemosinas pro mortuis, condito &  
curato funere, datas esse probat ex Origine & Hieronymo,  
XLIII. Ri-

XLIII. Ritus celebrandi Missam *præsente* corpore etiam & hodie observari desiderat Rituale Romanum, eumque antiquissimum esse asserit. "Quod antiquissimum est institutum, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa *præsente corpore defuncti* pro eo celebretur, antequam sepultura tradatur.

Vespertina ergo sepultura, quæ non raro singularitatem aliamve vanitatem sapient non facile admittenda; neque eas extra casum necessitatis admittit Rituale nostrum Mechliniense dicens: "Pro laudabili & antiqua consuetudine Ecclesiæ, corpus adulti defuncti ante meridiem cum Missa orationibusque, & ceremoniis debitis (casu necessitatis, excepto) sepeliri convenit.

XLIV. Notandum Missam pro Defunctis in citato Codice Raroldi expressam in multis hodiernæ Romanæ consonare, excepta *præsatione* quæ hic specialis est; item oratione dicenda infra *Abitionem*, in qua specialius exprimitur, oblationem hanc fieri pro hoc defuncto. Verba sunt: "Hanc igitur oblationem quam tibi pro anima famuli tui illi offerimus, quem hodie carnali corruptione liberaſti, quæsumus, Domine, placatus accipias, & quidquid humanæ conditionis obreptione contraxit, expeditas, ut tuis purificata remediis ad gaudium sempiternum perveniat per dominum nostrum Jesum Christum.

XLV. Finita Missa notantur orationes & responsoria dicenda ad corpus defuncti antequam terræ mandetur. Hæc rursus multum cum hodiernis conveniunt. Occurrit quoque hodiernus ritus post collectam *ter* dicendi *Kyrie-eleyson*, idque tribus repetitis collectis, prout hodie in Ritualibus præscribitur.

XLVI. Nulla fit mentio *trina* thurificationis; uti nec asperſionis aquæ lustralis super corpus defuncti, quæ hic in Belgio in usu est. Indicium, hos ritus esse recentioris instituti; aut saltem in Ecclesia, ad cuius usum hoc Sacramentarium erat scriptum, tunc nondum fuisse receptos Rituale Romanum tantum *trina* asperſionis & thurificationis meminit.

XLVII. Scitur enim, nihil adeo varium olim fuisse pro varietate Ecclesiarum, quam rituum ac precum similitum usus.

Guilielmus Durandus, qui vixit sub finem seculi 13. describens Officium Defunctorum sui temporis, restatur, quod "in quibusdam Ecclesiis legantur novem lectiones, ex Job, in aliis verò totidem, sed ex Libro Sapientiæ. Incipiunt autem hæc hoc pacto. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conviviis.* Sunt rursus alia Ecclesiæ in quibus itidem novem recitantur, Lectiones, verum ex sermone quodam B. Aug. quem ille composuit de mortuis & quem finivit in hunc modum, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, quod à quibusdam dicitur sub finem lectionum loco.

Hæc ille in rationali Divin. Off. lib. 7. cap. 161.

XLVIII. Porro in hac rituum & ceremoniarum varietate à parochis aliisque inferioribus tenendus est usus suarum Ecclesiarum, præsertim in ipsis Ritualibus, seu Manualibus vel Pastoralibus præscriptis. Episcopi verò est, ea omnia prohibere, atque è medio tollere, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitione, veræ pietatis falsam imitatrix, inducere potuisset; sollicitèque attendere, ne quæ similia irrepant: puta determinato numero Missarum, aut precum certam animarum è purgatorio liberationem addicere; quam superstitionem Synodos damnasse titulo præcedenti cap. 6. monuit.

XLIX. Quæ hodie pro defunctis in die ipsius Sepultura aguntur, vocari solent *Exequiis*, quas ab heredibus pro defuncto persolvendas esse voluit Synodi nostræ. Synodus Cameracensis, 1567. sub hoc titulo: *Ut heredes defunctis JUSTA rependant* habet sequens Decretum: "Mandamus præterea Pastoribus, ut modeste

moneant filios hæredesque eorum, qui ex hoc seculo in Ecclesiæ communionem migraverunt, ut pietatem & gratitudinem erga mortuos conservent, utque juxta hujusmodi Dialectis laudabilem consuetudinem, moremque majorem Christianæ charitatis officia omnia rependant pro suo quisque modulo ac facultate, utpote preces, elemosinas, Ecclesiæ suffragia, ac Missæ sacrificium; sed in his gerant se prudentes Pastores, evitentque omnino sordidum quæstum, & omnem avaritiæ labem. hæredibus autem ipsis, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut parentum defunctorum exequias, non differant ultra sex hebdomadas à die obdormitionis, nisi iustis causis per nos aut Pastores probandis.

L. Et Pastorale Mechliniense tit. *De Cura pro mortuis* ait, "Nec celebratio exequiarum ultra sex septimanas à die obitus nisi iustis de causis per Ordinarium aut Decanum Ruralem approbandis differri debet. Quod si dictis sex septimanis elapsis hæredes aut consanguinei defuncti, etiam postquam ad hoc à Pastore præmoniti, & requisiti fuerint, illas celebrari non curent, Pastoris erit negligentiam hanc Domino ordinario, ejusve Promotori denuntiare.

LI. Similiter S. Carolus in suo primo Mediolanensi tit. *De Funeribus & exequiis* statuit: Si mortuorum heredes ita se impie gesserint, ut religiosum exequiarum institutum negligentes, cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhiberi nolint; ab Episcopo ea comparare cogantur, quæ necessaria videbuntur.

Merito autem monet Parochos citata Synodus Cameracensis, ut "in his gerant se prudenter, evitentque omnino sordidum quæstum, & omnem avaritiæ labem.

LII. Hanc turpis quæstus & avaritiæ notam difficulter evitabunt Parochi, si in juribus suis extendis sint duri & difficiles; si pactiones & conventiones super iis cum heredibus ineant (de quibus latius infra) si suos Parochianos ad fastuosas, etiam non raro cum summo filiorum aliorumque heredum in commodo, exequias, aut anniversariorum fundationem vel multorum Sacrorum celebrationem adhortentur.

LIII. Licet enim Ecclesia probe, imò præcipiat, corpora defunctorum honorificè, & cultu religioso sepeliri; moderationem tamen in hoc requirit; ut scilicet, nec despecta sit, nec superba sepultura, uti rectè monuit Concilium Remense anno 1583. tit. *De Sepulturis* num. 1. dicens: "Quantum autem attinet ad Christianorum sepulturam quam nec superbam, nec neglectam esse decet, aut despectam, Parochi in hanc officii sui partem, diligenter incumbant, ut piorum funera Christianæ simplicitatis ac modestiæ limites non excedant.

LIV. Deinde num. 2. medium quo id impetretur suggerit: "Id autem fiet, si ipsi primum mercede consueta, & honesta contenti, dein superfluas impensas, quæ propter ambitionem ac fastum fiunt, vel heredibus relinquuntur, vel pauperibus erogari suadeant.

LV. Etiam ipsi Romani Gentiles moderationem sumptuum & expensarum in defunctorum exequiis desiderarunt; que a bitrio judicum determinandi erant L. 2. §. 5. & L. 14. §. 6. ff. *De Religiosis & sumptibus funerum*; additque posterior, nec testatoris voluntatem sequendam, si res egrediatur JUSTAM sumptuum rationem.

Hinc in Belgio tum Ecclesiasticorum tum Civilium Magistratum auctoritate sumptus, & fastum exequiarum non semel moderatos, & limitatos fuisse, juxta qualitatem personarum, scitur. Oprandum, ut ubique in his iusta & Christiana moderatio servaretur!

LVI. Ubi deprehenditur populis ad hujusmodi nimias pompas & superbas sepulturas inclinari, merito ei dicitur, verbis Augustini *Sermone* 32. De verbis Apostoli (qui est hodie *Sermo* 172.) "Pompæ funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepul-

ultura monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non ad jutoria mortuorum. "Idem habet lib. 1. *De Civit. Dei* cap. 13.

LVII. Ad hæc monendus nonnumquam, quod tamen indubitarum sit, "orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, ut elemosinis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, mortuos adjuvari; ut cum eis misericordius agatur à Domino, quam meruerunt; uti loquitur Augustinus in citato *Sermone*; tamen advertendum esse quod adjicit idem Doctor: "Prodesse illa defunctis; sed talibus esse post mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. "Id ipsum monet libro *De Cura pro mortuis* cap. 18.

LVIII. Ut verò ad moderatas juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem exequias defunctis persolvendas fidelis populus excitetur, validum & securissimum medium est, "ut in his præstandis, qua par est modestia ac devotio ita se habeant Parochi aliique Ministri ut ad defunctorum salutem, simulque vivorum pietatem, quemadmodum verè sunt, non ad quæstum, ejusmodi ritus instituti esse videantur: "ut loquitur Rituale Romanum tit. *De Exequiis*.

LIX. Qui animadvertit ad modum quo hæc defunctorum officia in multis Ecclesiis persolvuntur, intelliget, quam merito monerentur Parochi aliique quibus cura officiorum incumbit, ut sedulo ad vigilent & strenuè adlaborent, ut vigiliæ & exequiæ defunctorum Fidelium, solemniter, tractim, graviter & devotè decantentur; quemadmodum Pastoribus suis injunxit vigilantissimus Gandensium Antistes Antonius Triest in suis *Decretis* tit. 11. cap. 11.

LX. Monet Synodus P. II. Cameracensis tit. 13. cap. 7. "Quod Clero ob funus, aut exequias defunctorum datur, ne durante ipso officio & spectante populo; sed eodem officio finito, iis qui eidem ab initio usque ad finem adfuertint, distribuatur.

Hoc decretum utinam attenderent Canonici & Capellani, qui mox absoluto offertorio, cum summo populi scandalo, & non obscuro indicio animi mercenarii, excurrunt, & medietate vix officii persoluta integras officii distributiones accipere non formidant.

LXI. Vult Synodus Cameracensis anni 1604. tit. 13. cap. 2. ut "brevem semper habeant exhortationem Parochi in sepultura & exequiis defunctorum antequam populum à loco sepulturae dimittant; in eaque ad orandum pro defunctis omnes hortentur.

Non dubium, quia pia esset hæc praxis, & sæpe non inutilis; eo quod ipsa recens defuncti memoria, & præsentia nata lit conciliare attentionem majorem, & vaciorem de morte, & judicio extremo aliisque novissimis imprimere ideam. Unde Pastores merito cogitare & consulere poterunt, quomodo hanc à Synodo propositam praxim ad usum deducere poterunt.

LXII. Olim frequentes esse solebant orationes funebres; hodie verò rariores sunt; atque de his monet hæc Synodus Cameracensis cap. 3. ut "in his orationibus, ita differre se gerant Concionatores, ut assentationem omnem fugiant & non nisi ob veras & compertas virtutes defunctos laudent. "Et Synodus Namurcensis an. 1639. tit. 16. cap. 5. monuit: "eas sobriè habeant potius auditores consideratione mortis & judicii, ad peccatorum fugam excitando, quam immodicè laudes defuncti propalando.

## CAPUT II.

## De loco Sepulturae.

I. Apud Romanos vetitum fuit intra urbes corpora inhumare.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

2. Hanc legem renovavit Theodosius Junior.
3. Primæ ratio hujus prohibitionis à Theodosio adducta.
4. Secundæ ratio hujus prohibitionis; quæ à Gentilibus probata, sed motivo et hinc.
5. Quo sensu eam probarint Christiani.
6. Altera pars legis Theodosianæ.
7. Quid Martyrum ledes in hac lege?
8. Cessante Gentilium persecutione Martyrum sepulchra in Urba permissa fuere.
9. Verus sensus legis Theodosianæ.
10. Christiani multum desiderarunt sepeliri ad sepulchra Martyrum.
11. Sensim invaluit sepultura Urbana; quæ à Constitutione Leonis probata fuit.
12. Votum Christianorum fuit ad Ecclesias sepeliri, tamquam ad Martyrum sepulchra.
13. Quæ ratione Ecclesia dici possint Martyrum sepulchra?
14. Primitus satis erant in vestibulis Martyrum sepeliri.
15. Hoc exemplo Christianis tantum datum fuit sepeliri in locis prope Ecclesias.
16. Hæc loca cur dicta sint cæmeteria?
17. Apud Romanos inhumatio corporis reddebat locum religiosum.
18. Ecclesia hodie requirit, ut locus sepulturae sit præviè religiosus.
19. Cæmeteria hodie debent benedici.
20. Quando benedici caperint.
21. Non apparet, quod olim fuerit benedictio cæmeterii separata à benedictione Ecclesiæ.
22. Hodie cæmeterium per specialem ritum & formulam benedictionis dedicatur.
23. Concilium Lugdun. à cæmeteriis abesse vult actiones profanas.
24. Quid pro reverentia cæmeteriorum statuerint Synodi Belgicæ.
25. Ostenditur ex hodierno ritu benedictionis, cæmeteria ad inhumationem corporum specialiter destinari.
26. Concilium Bracarense vetuit quemquam in Ecclesia sepeliri.
27. Id ipsum vetat Concilium Nannatense seculo 9.
28. In hoc Concilio occurrunt tria loca sepulturae designata; & quid sit acrium;
29. Quid porticus; & quid exedra.
30. Capitularia Regum Francorum prohibent sepeliri in Ecclesiis.
31. Circa idem tempus capit Sacerdotibus & quibusdam laicis ob vitæ meritum sepultura in ipsa Ecclesia concedi.
32. Exceptio hæc laicis occasionem ambiendi, & Sacerdotibus annuendi sepulturam in Ecclesia subministravit.
33. Ex sepulturis in Ecclesia Sacerdotes emolumentum capere ceperunt.
34. Ambitione laicorum & cupiditate Sacerdotum impellentibus pristina disciplina penè interiiit.
35. Licet Ecclesiæ de pristina disciplina multum remiserit, non tamen eam omnino dimisit.
36. Id ostendit hodierna cæmeterii specialis benedictio.
37. Idem evincunt recentiores Synodi; & quid circa hoc punctum statuerit Synodus Rothomagensis;
38. Concilium Remense vetat concedi sepulturam in Ecclesia sine consensu Superiorum.
39. Synodus Burdigalensis inter gravissimos abusus circa sepulturam reponit morem sepeliendi promiscuè in Ecclesiis.
40. Pristinum morem sepeliendi in cæmeteriis conservari optat Rituale Romanum.
41. Præcipit, ut dum in Ecclesia locus datur, tantum humi, & non prope altare detur.